

certitudine facilius actiones damnant de peccato mortali in talem conscientiam ponendo poenitentes (1).

67. Quæritur 1. quot modis peccatum, ex genere suo mortale, fieri potest veniale? Tria requiruntur ad peccatum mortale: gravitas materiae, plena advertentia intellectus, et perfectus consensus voluntatis; et ob aliquem horum defectum mortale fieri potest veniale. Et 1. quoad materiam, ejus gravitas consideranda est non solum in se, sed etiam ex circumstantiis ex toto, et ex fine intento. Quapropter non datur pravitas materiae, ubi parvas non minuit offensam, uti accidit in infidelitate, simonia, perjurio, vitio turpi, etc. Præterea advertendum, materias parvas reiteratas tunc constituere materiam gravem, cum ex se, aut saltem moraliter in se coalescunt; ut sunt furtula, parvæ omissiones in officio, in missa, aut comestiones modicæ in jejuniis eodem die repetitæ. 2. Quoad advertentiam, potest excusari a mortali semidormiens, aut semidistractus, aut qui subita et vehementi turbatione ita corripitur, ut nesciat quid agat. 3. Quoad consensum, notetur quod hic non est supponendus perfectus ad peccatum mortale in iis, qui spiritualem agunt vitam, et meticulousæ sunt conscientia, semper ac certi non sint de consensu (2).

68. Quæritur 2. quot modis contra veniale possit transire in mortale? Respondetur quinque: 1. Ratione *finis adjuncti*, qui ex se sit mortalis, v. gr. si quis dicat verbum leviter inhonestum, sed sine proximum trahendi ad culpam gravem. 2. Ratione *finis ultimi*, et est, cum quis agit aliquid ex se non mortale, sed ea animi adhesionem, ut potius sit paratus ad præceptum grave transgrediendum, quam illud omittere: v. g. si quis die festivo sit paratus potius ad omittendum Sacrum, quam ludum.

(1) Lib. 5. n. 52. circa fin. v. Bene hic. — (2) Lib. 6. n. 476. v. Item, et 4. 5. n. 53. ad 58.

Sat tamen tunc erit, si confiteatur tantum voluntatem omittendi Sacrum.

3. Ratione *contemptus formalis legis*, aut legislatoris, ut docet s. Thomas (3), cum aliquis ex proposito legem (etiamsi humanam) transgreditur, quia non vult ei se subicere: aut ideo superiori non obedit, quia illi non vult subicere; si autem nolle superiori obsequi, aut ex passione; aut quia res est parvi momenti, tunc ait s. Doctor non peccat ex contemptu, etiamsi peccatum reiteret. 4. Ratione *scandali* respectu pusillorum, ut in *Tractatu sequenti* n. 28. 5. Ratione *periculi proximi* in culpam gravem labendi (4).

69. Nonnulli AA. dicunt, quod si quis se exponit periculo tantum probabili labendi in mortale non peccat graviter semper ac sit etiam probabile quod non cadat. Sed hæc opinio rejicitur a Carden., Busemb., Croix, etc. quia si nobis nefas est uti opinione probabili cum periculo facti de damno alterius, ut dictum est *Tract. 1. n. 21.* quanto minus possumus ea uti cum periculo propriae animæ? Tunc lapsus licet sit incertus, certum tamen est periculum. Hoc intelligitur quod peccat graviter, qui se exponit periculo sine justa causa; hoc enim non currit juxta communem Nav., Roncag., Hurtad., Salmant., Elbel, etc. de eo qui ex necessitate se exponit (ut dicitur de chirurgo et parrocho *Tract. 9. n. 34. de sexto præcepto*); quandoquidem tunc periculum ex proximo fit remotum, tum propter necessitatem, tum propter media præservativa quæ debet adhibere in hujusmodi occasionibus: nam licet nemo excusetur, etiamsi velit eadem media adhibere, qui præcisa necessitate se exponit periculo, attamen bene excusabitur, qui illi ex justa causa se exponit, dum huic, non autem illi in occasione auxiliaturus erit Deus, qui indigentibus, non temere agentibus opitulatur (5).

(3) 2. 2. q. 486. a. 9. ad 3. — (4) Lib. 5. n. 59. ad 63. — (5) Lib. 5. n. 63. Quær hic.

TRACTATUS IV. DE PRIMO PRÆCEPTO DECALOGI

CAPUT I.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGALIBUS.

1. ad 5. De Fide.
6. ad 8. De Spe.
9. ad 12. De Charitate.
13. Actus exercendi circa virtutes theologales.

1. Ad primum præceptum primo spectant virtutes theologales, quæ sunt Fides, Spes, et Charitas. De singulis seorsim. Et I. Fides definitur: *Est virtus theologica a Deo infusa, inclinans nos ad firmiter assentiendum ob divinam veritatem omnibus, quæ Deus revelavit, et per Ecclesiam nobis credenda proposuit.* Dicitur 1. *Virtus theologica*, id est, Deum respiciens, quia Fides, sicut etiam Spes et Charitas directe respiciunt Deum ad differentiam virtutum moralium, quæ illum indirecte respiciunt. 2. *A Deo infusa*, quia Fides est donum Dei supernaturale. 3. *Inclinans nos ad firmiter credendum*, nam assensus Fidei non potest esse cum formidine, ut volebat prop. 4. ex damnatis ab Innoc. XI, sed debet esse firmus. 4. *Ob divinam veritatem*, cum infallibilis veritas (quæ est ipse Deus) sit objectum formale Fidei. 5. *Omnibus, quæ Deus revelavit*, cum omnia a Deo revelata sint objectum materiale Fidei. 6. *Et per Ecclesiam nobis credenda proposuit*, quia divina revelatio nobis non manifestatur, nisi per Ecclesiam, quæ eam proponit; est enim evidens per signa credibilitatis (quæ sunt prophetiæ, miracula, martyrum constantia, etc.) Ecclesiam non posse falli, nec fallere. Quare aiebat s. Augustinus: *Evangelio non crederem nisi me Ecclesie catholice commoveret auctoritas.*

2. Itaque objectum materiale Fidei (nimirum id quod credere debemus) præcipuum est Deus, et inde cætera omnia a Deo revelata, ut dicitur Tho-

mas: *Fides quæ hominem divinæ cognitioni conjungit per assensum ipsum Deum habet sicut principale objectum, alio vero sicut consequenter adjuncta.* Objectum autem formale (sive motivum quo debemus credere) est Dei veritas. Quæstio tamen est inter scholasticos, an revelatio etiam sit objectum formale Fidei? Juvenin, et alii dicunt Dei veritatem esse objectum formale quod, sive rationem præcipuam, in qua fundatur Fides. Revelationem autem esse objectum formale quo, nempe medium, quo nos credimus. Sed communior sententia, quam tenent Habert, Gotti et Holzman cum Scoto, etc. vult objectum formale Fidei esse veritatem Dei, et revelationem esse tantum conditionem, qua nobis applicetur notitia eorum, quæ credimus.

3. Sed deveniamus ad ea, quæ nostri insituti laboris intersunt. Altera sunt præcepta explicite credenda de necessitate mediæ, altera de necessitate præcepti. Nulli dubium est, quin explicite de necessitate mediæ credenda sint, Deum esse, et remuneratorem esse boni, et justum vindicem mali. Quoad autem mysteria sanctissimæ Trinitatis, et Incarnationis, et mortis Jesu Christi, licet adsit sententia probabilis pro utraque parte, an debeant credi est necessitate mediæ, an præcepti; attamen certum est ex prop. 64. ex damnatis ab Innoc. XI. non esse absolutionis capacem, qui ignorat ea mysteria, aut quia agitur de valore Sacramenti, aut quia agitur de mysteriis longe maximis, et momenti valde gravis, ut credantur, ad salutem æternam consequendam, ac edoctu ita facilibus, ut sine magna difficultate ea addiscere possit poenitens, antequam absolutione sacramentali donetur. Sed ratio potior est, quia poenitens Sacramentum Præ-

nitentiæ recipiendo, quod est meritum Salvatoris communicatio, tenetur illis explicite credere, sive tenetur exercere fidem circa illa mysteria SS. Trinitatis et Incarnationis. Explicite vero *de necessitate præcepti* debent sciri et credi, saltem in substantia, ut docet s. Carolus Borromæus in sua *Instructione ad confessarios* 1. Symbolum apostolorum 2. Oratio dominicalis et salutatio angelica 3. Præcepta Decalogi et Ecclesiæ, 4. Sacramenta, quæ cuilibet sunt necessaria, ut Baptismus, Eucharistia, et Pœnitentia; cæterorum enim sufficit habere fidem implicitam, cum explicita sit tantum necessaria illis, qui ea suscipiunt.

4. Peccata, quæ Fidei adversantur, sunt infidelitas, et hæresis: infidelitas quæ triplex est: *Negativa*, eorum nempe, qui nihil audierunt de Fide. *Positiva*, eorum est, qui sua culpa ignorant veritatem Fidei. *Contraria*, est eorum, qui Fidei sufficienter eis propositæ repugnant, aut eam contemnunt. In hac infidelitate contraria, sunt paganismus, judaismus, et hæresis (1).

5. Ad hæresim duo requiruntur, iudicium erroneum intellectus, et pertinacia voluntatis. Quare non est hæreticus, qui tantum externe detestatur Fidem, aut qui tantum negative dubitat de ea, credulitatem suspendendo circa aliquem articulum, quia istenon format iudicium: contra vero est hæreticus, qui affirmative iudicat aliquod dogma esse dubium: aut qui ideo suspendit iudicium, in quantum virtualiter iudicat dubium esse illud dogma, licet sciat Ecclesiam illud docere. Nec est hæreticus qui est dispositus se iudicio Ecclesiæ submittere; quia tunc deest pertinacia (2). Ad hæresim deducitur apostasia, quæ est error Fidei ex toto contrarius, ab ea nempe discendo.

6. II. Spes definitur: *Est virtus, per quam certa cum fiducia futuram beatitudinem, et media illius asse-*

(1) Lib. 2. n. 47. — (2) N. 49.

quendæ expectamus per Dei auxilium. Objectum materiale primum Spei, illud nempe quod sperare debemus, est beatitudo æterna, quæ est Deus ipse fruendus; secundarium sunt divina gratia et bona nostra opera Dei auxilio exequenda. Objectum vero formale, seu motivum, quo nos sperare debemus, alii dicunt esse Dei misericordiam; alii divinam omnipotentiam, ut communiter Thomistæ; alii divinam promissionem, ut tenet Juvenin; alii denique volunt esse divinam bonitatem, illam intellige bonitatem, qua nobis auxilia ad consequendam salutem communicat, quæ eadem est ac misericordia; quod si quis vellet objectum formale spei esse bonitatem Dei, in quantum est res spectata, bene ait Continuator Tourneley (3), erraret utique.

7. Hinc puto concludendum omnia illa tria prima motiva, quæ innuimus, objectum formale Spei constituere, nimirum Dei misericordiam et omnipotentiam, qua nobis Deus optulatur ad vincendos inimicos salutis hæc duo motiva expresse docentur a s. Thoma (4), qui sic ait: *Ita objectum formale Spei est auxilium divinæ pietatis, et potestatis, propter quod tendit motus Spei in bona sperata, quæ sunt materiale objectum Spei.* Et puto his duobus debere addi tertium, quod est divina promissio, ut ait Juvenin, sive sit fidelitas Dei in promissis, quibus pollicitus est se ob merita Christi ad gloriam nos adducturum; nam, hac promissione præcisa, nos certa fiducia non possumus nostram salutem sperare.

8. Vitia Spei opposita sunt desperatio et præsumptio: peccat præsumptionis ille, qui meritis ipsius solius innixus, aut solius Jesu Christi meritis, ipso non cooperante, confisus, sperat salutem consequi. Præsumptionis pariter peccat, qui reiterat peccata, sperans Deum æque duo

(3) Tract. de Decal. c. 1. p. 2. de spe concl. 2. — (4) In quæst. disp. qu. unic. de spe.

peccata quam unum esse remissurum; aut qui ex facilitate remissionis, quam sperat, inducitur ad peccandum: non autem qui ex passione peccaret, sperans eodem tempore sibi parcendum fore. Qui autem vellet diutius in peccatis perseverare, sperans postea fore ut respiceret, hic non peccaret quidem contra spem, sed contra charitatem erga seipsum, æternæ damnationis periculo se exponendo (1).

9. III. Charitas definitur: *Est virtus, qua diligimus Deum propter seipsum, ac nos et proximum propter Deum.* Itaque objectum materiale primum charitatis (nempe id quod amare tenemur) est Deus quem super omnia diligere tenemur, tanquam nostrum ultimum finem, secundarium sumus nos ipsi, et proximus, quem sicut nosmetipsos diligere debemus, quia hoc nobis præcipit Deus. Objectum autem formale charitatis (nempe motivum, quo tenemur diligere Deum) est quia ipse est bonitas infinita, fons et aggregatio omnium perfectionum.

10. Dubitatur 1. An desiderium fruenti Deo sit objectum charitatis? Et respondemus affirmative: Charitas enim (ut diximus) tendit ad Deum, ut ad ultimum finem, ideoque desiderium eo fruenti, qui est ultimus finis noster, est actus proprius charitatis, imo perfectissimus, quia fructio est charitas consummata: quare Apostoli desiderium moriendi, et esse cum Jesu Christo, fuit actus perfectus charitatis. Et hoc expresse dicit s. Augustinus: *Charitatem voco motum animi ad fruendum Deum propter seipsum.* Nec obstat dicere, quod objectum Charitatis esset idem cum objecto Spei, quod est etiam frui Deo cupito; nam recte respondet Habert (2) dicens, Spem tendere ad Dei fructio-nem, uti nostrum bonum; charitatem vero ad ipsius fructio-nem ob gloriam ipsius Dei; dum (ut ait s. Bernardus,) cum homo Deo fruitur, sui ipsius obli-

(1) Lib. 2. n. 20. et 21. v. Hinc recte. — (2) Tom. 3. de Spec. c. 2. q. 2.

viscitur, et totis viribus eum diligit.

11. Dubitatur 2. An sit actus charitatis diligere bonitatem divinam, ut nobis convenientem, cum hic actus videatur potius amor concupiscentiæ quam amicitia? Respondetur cum Habert, Gotti, et Juvenin, quod si in hoc respicimus nostrum bonum, ut terminum dilectionis. utique ille est amor concupiscentiæ ad spem spectans; si vero respicimus gloriam Dei, uti terminum, ejus bonitatem diligentes tanquam nobis convenientem, quia nos adjuvat ad ejus voluntatem exe-quendam, et ad ultimum finem, qui est eum diligere, et ob quem nos creavit, assequendum, hic est verus actus charitatis. Quare s. Augustinus aiebat: *Sic amare debes, ut ipsum (Deum) pro mercede desiderare non desinas qui solum te satiet.* In Ps. 134 n. II.

12. Deum vero diligere propter beneficia quæ in nos contulit, est actus gratitudinis, sed non charitatis, ut dicit Habert et Lacroix (3). Sed bene ait Habert, quod si quis divina beneficia respiceret tanquam Dei bonitatis communicationem, verum eliceret actum charitatis, in illis diligens non jam bonum ipsius recipientis, sed bonitatem Dei dispensantis.

13. Tenemur autem tam circa charitatem erga Deum, quam circa fidem et spem, actus elicere, uti constat ex propositionibus proscriptis 1. et 7. ex illis Alexandri VII. et 6. 16. et 17. Innoc. XI.; nam sublatis actibus, illas virtutes exercere non possumus. Igitur hi actus aliquando obligant ex se, aliquando per accidens. Obligant *per accidens*, cum urget necessitas eos eliciendi ad superandum aliquam tentationem, aut ad alicujus præcepti adimplerionem, v. gr. confessionis, communionis, etc. Obligant *per se* (uti docent dd.) in pluribus vitæ temporibus: nimirum cum pervenitur ad rationis usum; in exitu vitæ, et pluries in vita, saltem semel quolibet anno;

(3) Lacroix, 4. 2. n. 147. Habert. 4. 3. de Charit. c. 2. q. 4.

ut dicunt AA.; sed circa actum charitatis magis mihi arridet sententia eorum, qui eum requirunt semel in mense, dum difficiliter observare poterit legem divinam, qui frequenter suum erga Deum amorem actibus positivis non exercet. Attamen opus non est, ut hi actus reflexe et explicite fiant, cum intentione præcepto satisfaciendi: sed satis est, si exercite fiant in sempe ut actu fiant licet ex alio fine, nempe ad abjiciendam tentationem, ad eliciendam contritionem, si confiteri velit. Ita etiam actus charitatis sunt omnes unformitatis actus divinæ voluntati, et omnes virtutes exercitæ ad Dei complacentiam. Ita pariter sunt actus fidei orare, Crucifixum adorare, signare se signo crucis, etc. quare bene ait Card. de Lugo, quod ille, qui semel amplexus est fidem christianam (aut vixerit, ego addo, christiane, saltem præcepto paschali satisfaciendo non debet dubitari, quin satisfecerit præcepto fidei; et idem intelligendum de præcepto spei (1).

CAPUT II.

DE CHARITATE ERGA PROXIMUM.

14. Ordo charitatis.
15. Ordo personarum, quæ præferri debent.
16. Punct. I. Signa communia adhibenda cum inimicis.
17. Remissio injuriæ.
18. et 19. Punct. II. Obligatio eleemosynæ.
20. Punct. III. De correctione fraterna.
21. Quando quis excusatur.
22. Superiorum in hoc obligatio.
23. et 24. Punct. IV. De scandalo, et quot modis detur.
25. An scandalum sit peccatum tam contra caritatem quam contra virtutem quæ læditur.
26. et 27. Quid si proximus sit jam paratus ad peccandum.
28. An ne simus alicui scandalo teneamur relinquere nostra bona, ac etiam omittere præcepta positiva.
29. De scandalo, quod præbent mulieres; et de comediis.
30. An possit suaderi minus malum.

(1) Lib. 2. n. 6. ad 8.

31 et 32. Punct. V. Quando erit licita cooperatio materialis.

14. Charitas est ordinata; unde fit quod tenemur præferre omnibus Deum, et ejus gratiam; contra vero non tenemur præferre bonum proximi nostro bono, nisi quoties proximi bonum sit ordinis superioris. Ordo honorum hic est. Præ omnibus est vita spiritualis, post hanc vita temporalis, inde fama, et postremo sunt bona. Itaque vita proximi temporalis non est nostræ præferenda, bene vero spiritualis. Hoc tamen intelligendum, quoties proximus est in extrema illius necessitate; et etiam in gravi respectu episcoporum et parochorum juxta communem sententiam (2). Cum autem necessitas proximi est extrema, tunc tenemur succurrere, licet adsit aliquod probabile periculum labendi in aliquod peccatum, modo lapsus non sit moraliter certus, dum in illo casu debemus jure merito sperare Deum fore nobis auxiliaturum; ita d. Thom., Suar., Sot., Sylv., Tourn., Pal., Salm., etc. (3). Hoc tamen intelligendum, quoties æqualis afforet spes adjuvandi, et nemo alius esset qui opitularetur: et præterea proximus certe esset damnandus, hoc enim importat extrema necessitas. Sed tempore pestis, merito ait Laym., quod in aliorum defectu sacerdotes tenentur infirmis assistere, quia in tanta multitudine moraliter certum est multos adesse, qui in peccatis versantes, suæ salutis æternæ prospicere non poterunt, ob ignorantiam eliciendi actum contritionis perfectæ (4).

15. Ordo autem personarum, quas præferre debemus in officiis charitatis, hic est: In extrema necessitate vitæ, omnibus præferendi sunt parentes, cum enim ab ipsis nos vitam acceperimus, justum est, ut cæteris nos eos præferamus. Sed in gravi necessitate 1. succurrendum est conjugi, 2. filiis, 3. parentibus, sed pa-

(2) Lib. 2. n. 27. — (3) L. 6. n. 453. — (4) L. 2. n. 27 v. An autem.

tri præ matre, 4. fratribus et sororibus, 5. consanguineis, 6. domesticis (1).

PUNCTUM I.

DE DILECTIONE INIMICORUM.

16. Certum est nos teneri inimicos diligere tam actu interno, quam actu externo eis ostendendo saltem signa communia consuetæ ostendi aliis amicis, aut consanguineis: v. gr. eos salutando, aut resalutando, litteris respondendo, eorum consortium non evitando, communibus eleemosynis non privando, etc. Diximus saltem resalutando sed si inimicus esset Superior aut contra adesset scandalum, aut si absque gravi incommodo posset suum inimicum salutare, et hoc modo eum liberare a peccato gravi odii, quo ipse ab illo habetur; tunc (ut recte ait Tournely) tenetur salutationem prævenire. Nonnulli autem auctores excusant a peccato gravi offensum, si nec resalutaret inimicum, si de recenti ab eo injuria esset affectus, ita Roncaglia, Tamb., Mazzot. (2).

17. Hic memorare juvat illud dubium quod fit a dd. an teneatur offensus injuriam remittere offensori? Saltem (3) dicunt teneri quidem injuriam remittere, sed non publicam poenam, quia hæc refertur ad bonum reipublicæ. Speculative loquendo sententia vera est, sed in praxi ego nunquam ausus sum absolvere aliquem istorum qui dicebant se inimicis pepercisse, sed voluisse ut justitia suam haberet locum, animadvertendo in scelestos; nam nunquam mihi suadere potui, quod hujusmodi, qui aliquando veniunt peccatis onerati, ita bonum commune et justitiam diligant (non quidem in alios delinquentes; sed dumtaxat in suum offensorem), ut omnis vindicta tabe sint defæcati; unde in ipsis dicunt dd. (4) facillimum est, ut eorum erga justi-

(1) L. 2. n. 27. ad res. 1. — (2) L. 2. n. 28. — (3) Tr. 21. c. 6. n. 18. — (4) Lib. 2. n. 29. v. Licet.

fiam amor sit coloratus prætextus ad tegendam propriæ vindictæ cupiditatem. Nihil minus judico bene posse absolvi offensum, 1. si jam vellet remittere, sed juste prætenderet prius sibi satisfieri de damnis passis, modo offensor non esset adeo pauper ut nullo modo par esset satisfaciendo. 2. Si condonaret injuriam sub conditione, ut offensor in longinquam regionem proficisceretur, aut quia habet fratres, aut filios, qui facile iracundia abripiuntur, aut quia offensor est ita discolorus, et ad rixas proclivus, ut justitiam suam expertus imbecillitatem, ne perlaturus esset ejus insolentias.

PUNCTUM II.

DE ELEEMOSYNA.

18. Ut videamus quando urgeat obligatio eleemosynæ, oportet 1. distinguere necessitatem extremam a gravi et communi. *Extrema* est cum proximus est in periculo vitæ. *Gravis* est cum imminet periculum gravis mali, ut infamiæ, dedecoris, aut a proprio statu juste acquisito decidendi. *Communis* denique est illa quam patiuntur mendicis. Oportet 2. distinguere bona superflua vitæ, a bonis superfluis statui.

19. In gravi necessitate proximi tenemur ei subvenire ex bonis superfluis statui; sed in extrema etiam ex bonis superfluis vitæ; imo in extrema possumus succurrere pauperi etiam de bonis alienis, cum nostris caremus (5). In communi autem dicimus cum s. Thoma, Tournely, Sanch. etc. contra alios divites teneri sub gravi mendicis eleemosynas dare de superfluis statui, stante præcepto Evangelii: *Quod superest, date eleemosynam*, Luc. II. 41. Non tamen adest obligatio præstandi totum superfluum, sed sufficit, si detur quinquagesima pars annuorum proventuum, qui supersunt, seu duo in centena, ut probabiliter dicunt multi dd. ita Roncaglia, Viva, Tambur.

(5) n. 33.

Mazzota, etc. et si reditus sunt pinguiores, admittunt minus quinquagesima parte. Imo Layman permittit diviti, quod pauperibus hujusmodi elargiendum esset, posse totum in aliquem pium usum impendi (1). Hoc tamen non potest intelligi de beneficiatis, isti enim tenentur totum superfluum pauperibus, aut piis locis distribuere, ut dicitur *Tract. X. n. 7.*

PUNCTUM III.

DE FRATERNA CORRECTIONE.

20. Materia correctionis est quodlibet peccatum mortale, in quod proximus aut lapsurus est, aut jam incidit, et non adhuc emendatus est, ut recte dicunt Suar., Less., Salm., Tourn. etc. Advertendum, quod sub gravi adest obligatio proximum corripiendi, licet ille ex ignorantia inculpabili legem transgrediatur, modo speretur fructus; et hoc ex probabili sententia Castrop., Coninch., Sanch., Croix et Tournely, non solum currit cum peccato contra legem naturalem, sed etiam contra positivam; nam posita lege talem actionem prohibente, jam illa actio redditur intrinsece mala (2).

21. Multis tamen de causis potest quis ab ea correctione faciendâ excusari: 1. Si peccatum proximi non est certum, dum in dubio non est obligatio correctionis, nisi in casu damni communis et gravissimi, ut homicidii, et similium. 2. Si non effulgeat spes fructus, et correctio magis nocitura quam profutura sit; tunc enim omittenda est, modo delinquens non versetur in mortis periculo, aut jam sit in mala fide, aut modo alii non sint in periculo perversionis (3). 3. Si non desit alius æque idoneus, qui eum correpturus sit. 4. Si iudicatur prudenter quod reus ex se respiscat (4). 5. Si occasio, et tempus id non ferat, propterea dicunt

(1) Lib. 2. n. 32. v. Dicunt autem.— (2) n. 34. et 36.— (3) Cont. Tourn. tr. de Decal. c. 4. part. 3. de char. art. 6. s. 3. ex concl. 2. cum Hab. et Antoine.— (4) Tourn. loc. cit. eum iisd. et s. Th.

dd. quandoquo posse expectari delicti reiterationem, ut correctio fructuosior sit (5). 6. Si correctio non potest fieri, nisi cum gravi incommodo, cum hæc obligatio sit charitatis. Item docet s. Thomas (6) tantum venialiter peccare eum, qui ex aliquo timore, aut cupiditate omittet correctionem, dummodo non putaret sua correctione certo proximum a peccato aversum iri; tunc enim eam omittendo non excusatur a mortali (7).

22. Hoc præcepto ligantur omnes, etiam subditi: sed strictius Superiores, ut Episcopi, Prælati, parochi, confessarii, parentes, viri, curatores, domini, et magistri, quia isti tenentur suos subditos corripere, non tantum ex charitate, sed etiam ex sui officii munere. Et tenentur etiam ad inquirenda eorum crimina, cum probabilia subsunt indicia. Et Prælati regulares aliquando sub gravi tenentur non solum ad arguenda peccata gravia, sed etiam venialia suorū subditorum, cum hujusmodi sunt ut gravi sint damno communi observantiæ; ita Laym., Busemb., Tourn., etc. (8). An autem præfati Superiores ad correctionem teneantur etiam cum periculo vitæ, negatur. Excipiuntur tamen pastores, isti enim non solum vi officii, sed etiam ex justitia (ratione stipendii quod percipiunt) tenentur ad correctionem, et suis subditis in bonis spiritualibus consulere; et non solum in extrema necessitate sed etiam in gravi, ut communiter dd. (9). Et hic notetur etiam quod concionatores visui muneris debent emendare peccata publica, etiamsi nulla effulgeat spes emendationis. Et tenentur ad hanc publicam correctionem etiam cum periculo proprii damni, prout aiunt Salmanticenses. Sed hoc currit semper ac ex reprehensione speratur fructus, nec timeatur damnum commune fore majus (10).

(5) L. 2. n. 38. et 39.— (6) 2. 2. q. 33. a. 2.— (7) Lib. 2. n. 37.— (8) n. 35. et 44. n. 43.— (9) L. 2. n. 40. v. Strictius et ex S. Th. 2. 2. q. 185. a. 5.— (10) Ibid.

PUNCTUM IV.

DE SCANDALO.

23. Dividitur scandalum in activum et passivum: *activum* definitur: *Est dictum, vel factum minus rectum, præbens alteri occasionem ruinæ.* Hoc autem scandalum activum potest esse directum et indirectum: *directum* dicitur, cum directe inducitur proximus ad peccandum; *Indirectum* cum profertur aliquod verbum, aut aliquid mali fit, quod sit aptum ad inducendum aſum in peccatum. Ad est etiam *scandalum dæmoniacum*, quod committitur cum non solum inducitur proximus ad peccandum, sed etiam ideo inducitur, ut ille animam perdat, quod proprium dæmonis est.

24. *Passivum* est ipsa ruina, sive peccatum, in quod proximus labitur. Et hoc dividitur in scandalum *datum*, quod dicitur pusillorum, eorum nempe, qui propria imbecillitate cadunt; et in acceptum, quod *pharisaicum* dicitur, eorum nempe, qui propria malitia labuntur.

25. Hic quaeritur 1. An scandalum sit peccatum contra charitatem et contra virtutem, adversus quam inducitur proximus ad peccandum. Tres adsunt sententiæ. *Prima* dicit quod, cum directe intenditur ruina spiritualis proximi (quod proprie est scandalum dæmoniacum supra explicatum), tunc peccatur contra charitatem, alias tantummodo peccatur adversus illam virtutem, quæ læditur a proximo in scandalum inducto. *Secunda* sententia ait, quod, quando peccatur cum scandalo directo, id est, cum inducitur positive proximus ad peccandum, tunc peccatur tum contra charitatem, tum contra virtutem; sed si peccatur tantum scandalo indirecto, prævidendo tantum proximi peccatum, quin ad peccatum inducatur, tunc peccatur tantum contra charitatem. *Tertia* sententia, quam nos tuemur cum Suar., Sot., Lugo, Salmant., Roncag., Tamb., et aliis, quamque expresse tenet s. Tho-

I.

mas (1), dicit quod tam scandalo directo, quam indirecto peccatur tam contra charitatem, quam contra eam virtutem. Contra charitatem quidem, quia si nos ex charitate tenemur, cum possimus, impedire proximi peccatum, multo magis tenemur non esse proximo occasionem illud patrandi. Contra virtutem vero, quia qualibet virtus cuius prohibet, ne sit causa, aut occasio aliis eam lædendi (2).

26. Quaeritur 2. An peccet scandalum, qui a proximo rem pravam exquirat, ad quam tamen proximus est jam paratus (v. g. si quis petat copulam a meretrice)? Nos contra aliorum sententiam affirmamus cum Sanch. Cajet. Nav. Bonac. Ronc. Tamb. Sporer etc. Ratio est, quia (ut dictum est *Tr. III. n. 20.*) etiamsi certa sit sententia quod actus externus speculative loquendo nihil malitiæ addat actui interno, tamen in praxi semper actu externe consummato augetur malitia voluntatis, ob majorem complacentiam, quæ regulariter actum externum concomitatur, aut ob majorem diuturnitatem illius complacentiæ: quare qui externo peccat, majorem suæ animæ affert perniciem. Ideoque qui in hoc cooperatur, semper peccat graviter contra charitatem. Unde probabiliter infertur cum cardinale de Lugo, et aliis, non opus esse in peccatis, quæ habent complicem, explicare quisnam fuerit primus ad tentandum; quia tam inducens, quam consentiens in peccato operis semper graviter peccat contra charitatem: itaque inductio nihil aliud est, quam circumstantia aggravans in eadem specie, quam juxta probabiliorem sententiam cum s. Thoma non teneris explicare in confessione, ut dicemus de Sacramento Pœnitentiæ (3).

27. Hoc procedit cum expetitur res intrinsece mala: sed si res petita esset indifferens, ut a proximo sine peccato præstari possit, ut esset pe-

(1) 2. 2. q. 43. a. 3.— (2) L. 2. n. 45. v. Tertia sententia.— (3) Lib. 2. n. 46.

6

tere mutuum ab usurario aut aliquod Sacramentum a sacerdote in peccato existente, tunc dicimus quod cum adest causa necessitatis, aut notabilis utilitatis, licet illam petere; præcisa autem hac causa, postulans etiam peccat graviter, tam contra charitatem, quam contra virtutem; ita Sanch., Molin., Busemb., Roncag., Tambur., Salmant. etc. (1).

28. Aliquando cum grave incommodum non adest, tenemur derelinquere nostra bona temporalia, et etiam spiritualia, modo ad salutem non sint necessaria, ut evitemus grave scandalum pusillorum. Sed hic bene advertit s. Thomas (2) quod, admonito proximo, ejus scandalum evadit pharisaicum, ita ut non teneamur amplius illud evitare (3). An autem, ut evitetur scandalum pusillorum, adsit obligatio omittendi præcepta positiva, ut auditionem Missæ, jejunium, etc. Dicimus probabiliter affirmandum; quia præceptum naturale impediendi scandalum, nempe alterius peccatum (advertendum tamen aliud esse impedire peccatum, aliud impedire admirationem), præferendum est præcepto positivo. Hoc tamen non intelligitur quoad semper (etiamsi actio non esset de præcepto, sed ex simplici devotione, aut indifferens), sed tantum semel atque iterum: alias esset illi gravi incommodo, ad quod non obligat charitas; ita Cajet., Nav., Sanch., Azor., Less., Salm., etc. (4).

29. Peccant graviter scandali mulieres, quæ pectore immoderate denudato se ostentant, aut saltem usum, ubi non adest, introducunt, licet ea denudatio non sit immoderata; ita s. Antonin., Nav., Less., Laym., et alii communiter (5). Etiam graviter peccant scandali illi, qui elucubrant aut agunt comedias notabiliter obscenas. Et idem dicendum de picto-

(1) n. 47. v. Si autem res. — (2) 2. 2. q. 43. a. 7. — (3) Lib. 2. n. 50. et 52. — (4) Lib. 2. n. 51. et 53. v. Si ergo. — (5) n. 55. v. Quær.

ribus, qui pingunt, aut in publico exponunt imagines positive turpes (6).

30. Dicimus contra cum Sanch., Soto, Navar., Molin., Cajetan., Silvest., Salmantic., etc. confirmati s. Augustini auctoritate (contra alios) licere minus malum suadere, ut majus evitetur, quod proximus paratus est exequi; quia tunc qui suadet, non procurat malum, sed bonum, suadens minus malum, licet alterius sit speciei (7). Ita etiam licet domino, aut parenti non auferre occasionem furandi servis, aut filiis, qui jam parati sunt ad furandum, ut in delicto comprehensi, melius emendari possint. Ob id permittunt dd. multi posse etiam offerri occasiones furandi, permittendo ut furentur, ut evitentur delicta futura (8), duce s. Thoma, qui sic ait: *Inducere ad peccandum nullo modo licet: uti tamen peccato alterius ad bonum licitum est* (9).

PUNCTUM V.

DE COOPERATIONE MATERIALI.

31. Cooperatio materialis communiter admittitur uti licita a dd. cum justa adest causa. Sciatur hic quod alia est cooperatio *formalis*, quæ evenit cum directe cooperatur ad peccatum (ut est in eo, qui fornicatur); aut cum influit in pravam voluntatem proximi volentis peccare, ut esset servare terga latroni, aut sicario, ut securius furetur, aut occidat: scribere litteras amatorias vice concubinariæ aut afferre dona concubinae: accipere dona ab eo, qui tuæ honestati insidiatur. Hæ et his similes cooperationes sunt intrinsece malæ, quia ipsis datur ansa proximo ad peccatum exequendum, aut saltem istius prava voluntas fovetur, ideoque nulla ex causa, ne mortis quidem, excusari possunt a mortali. Alia vero est cooperatio *materialis*, quæ est cum actio est indifferens, et proximus potest ea uti sine peccato, sed ille sua

(6) n. 56. — (7) n. 57. — (8) n. 58. — (9) 2. 2. q. 78. a. 4.

malitia ea abutitur ad peccandum, ut esset mutuari pecuniam ab aliquo, qui eam non vult dare sine fœnore: ministrare vinum ei, qui eo abutitur ad ebrietatem; dare claves illi, qui eis utitur ad furandum.

32. Itaque hæ materiales cooperationes possunt esse licitæ, si tres condiciones concurrunt: 1. Ut actus tuæ cooperationis (ut jam dictum est) sit ex se indifferens. 2. Ut ex officio non tenearis impedire alterius peccatum. 3. Ut causam justam et proportionatam habeas sic operandi, nam tunc proximi peccatum non provenit ex tua cooperatione, sed ex malitia illius, qui abutitur tuo opere ad peccandum: itaque tunc non est actio tua, quæ conjungitur pravæ voluntati proximi, sed ille conjungit suam pravam voluntatem tuæ actioni; unde fit, quod actio tua non est causa illius peccati; sed est tantum occasio, quam tu non teneris auferre, quando habes justam causam eam ponendi; et sic licitum est cauponi dare vinum ebriaturo semper ac alias grave metueret damnum; ita Sanch., Tourn., Bonac., Busemb., et alii commun. Dictum est, *causam justam et proportionatam*, quia quanto proximior est tua actio proximi peccato, eo major debet esse causa, quæ te excuset. Ad judicandum, quando causa sit justa et proportionata, ante omnia pro regula sit observare quod dicunt dd., quia cum hoc pendeat prudentum æstimatione, sententia in hac materia communior erit etiam probabilior. ut dicemus etiam loquendo de gravi materia furti, *Tract. X. n. 22.* Præterea cum agitur de præjudicio proximi, tenenda est hæc regula, quod non possumus cooperari damno alterius, nisi quando damnum quod timemus bonis nostris, sit ordinis superioris, v. g. cum aliquis tibi minatur mortem, nisi tu coopereris morti sui inimici. præbendo v. g. eusem; tu non potes eum illi dare, quia non potes positive concurrer-

mortem alterius, ut liberes te a morte. Ita etiam cum fur minatur tibi auferre bona tua, nisi coopereris, ut ille surripiat bona alterius, nec potes quidem cooperari. Secus esset, nisi coopereris, ut ille surripiat illa bona, tu subiturus esses vitæ, aut famæ dispendium, quia tunc cum in extrema sis constitutus necessitate, tenetur proximus ad permittendam tibi illam cooperationem in suorum honorum jacturam, ne tu vita, aut fama pericliteris (1). Observa etiam super hoc quod dicitur *Tract. X. num. 56.*

CAPUT. III.

DE RELIGIONE, ET VITIIS EI OPPOSITIS.

33. *De religione.*

34. *Punct. I. De superstitione, et præcipue de astrologia, somniis, ensalmis, et sortibus.*

35. *De virga divinatoria.*

36. *De vana observantia.*

37. *De pulvere sympathico.*

38. *Punct. II. De tentatione*

39. *De sacrilegio*

40. *ad 49. De simonia, et ejus divisione.*

50. *ad 53. De pœnis simoniæ et absolutiõne.*

33. Virtus religionis princeps est inter virtutes morales et definitur: *Est virtus debitum cultum Deo exhibens.* Duo vitia huic virtuti adversantur. Superstitio nempe per excessum, et irreligiositas per defectum. Superstitio tres continet species, *idolatriam, divinationem, et vanam observantiam.* Irreligiositas quatuor alias continet species, *tentationem Dei, sacrilegium, simoniam, et perjurium.*

PUNCTUM I.

DE SUPERSTITIONE.

34. Superstitio definitur: *Est vana, seu falsa religio, indebitum Deo cultum exhibens.* Propterea superstitionis duplex est, *cultus indebiti, et rei culte.* Cultus indebiti est cum Deo exhibemus cultum falsum, ut si laicus vellet Missam celebrare, aut si exponerentur reliquiæ falsæ, aut si

(1) Lib. 2. c. 59. et 1. 3. n. 57.